



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. VII. An & quomodo propter errorem qualitatis adjectæ vitientur
rescripta, & obreptitia fiant?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

liberalis explicationis sit, non ampliet tamen, aut extendat Gratiam ultra intentionem concedentis) ita ut in dubio, utrum motus proprius hanc etiam gratiam, quæ V. G. in præjudicium tertii foret, concedat, juxta juris communis dispositionem explicari ille debeat, cum motus proprius tantum vitium subreptionis, nulli præjudicans tollat.

§. VII.

An & quomodo propter errorem qualitatis adjectæ vitentur Rescripta, & obreptitia fiant?

SI error contingat circa qualitatem adjectam per modum demonstrationis non vitatur rescriptum, si de rei substantia constet (quæ enim qualitates Patriæ V. G. Diocæsis, nominis proprii, familiæ, officii, &c. adduntur ad demonstrandam Personam, cui gratia conceditur, vel ad demonstrandam rem, quæ conceditur, non tollunt intentionem concedentis, etiamsi vera non sint, sed tantum juvant ad certius rem, vel Personam cognoscendam, ergo si constet de rei substantia, error talis nihil oberit) nisi error talis sit causa finalis, ac principalis concessionis rescripti *c. significante. 34. b. r.* aut redundet in substantiam Personæ, cum certum sit apud omnes, errorem, si substantialis sit, vitare rescriptum: quod si tamen error contingat circa qualitatem, taxationis, seu restrictionis, aut determinationis causâ adjectam, vitatur rescriptum, seu dispositio, quamvis error non sit illius concedendæ causæ, nisi aliud expressè constet de intentione concedentis, uti colligitur

Compend. Pirhing.

ex relato c. significante; cum enim ob deficientem, in tali casu adjectæ taxationis, intentionem Rescribentis, rescriptum nullum sit, si error in taxata qualitate intervenit, consequenter, ubi de contrariâ intentione constat, non oberit admittendus error rescripti valori, uti colligitur etiam *ex c. cui 27. de præbend. in 6.*

§. VIII.

De aliis modis sive causis, ob quas Rescripta redduntur invalida, vel suspecta de falsitate?

1. SI rescriptum à Sede Apostolicâ impetratum, manifestum in constructione errorem, seu solæcismum contineat, fidem non meretur illud, sed in totum est invalidum *c. ad audiendam. 11. b. r.* cum enim talia rescripta per manus multorum officialium transeant, legantur, & relegantur, non est verosimile, illos vel errorem non advertisse, vel non emendasse. Ob quam causam nullum etiam est illud rescriptum, quod contra jus commune & communem stylum, seu Praxin Curie Romanæ emanavit, nullâ per clausulam derogantem mentione illius factâ, ut colligitur *ex c. 2. §. 5. b. r.*

2. Reici debet rescriptum ad lites concessum tanquam suspectum de falsitate, si per illud omnia eorum, qui rescriptum impetrarunt, negotia tam præsentia, quam futura, unius judicis, vel plurium arbitrio committantur *c. ad hoc. 10. b. r.* ob nimiam scilicet generalitatem, ordinariorum judicum præjudicium, & incertitudinem delegatorum, nisi, salvâ æquitate naturali, in talibus etiam rescriptis concedendis, ex certa scientia, aut ex

E pleni-